12

DISSERTATIO
MEDICA
DE
AFFECTIBUS SOPOROSIS,

Quam, in Augustissimo Ludoviceo Medico Monspeliensi, Deo duce, & auspice Dei-parâ, tueri conabitur,

AUCTOR,

Paulus-Victor Deseze, Burdigalus, Artium Liberalium Magister, & jamdudùm Medicinæ Alumnus, die mensis Aprilis anni 1774.

Pro Baccalaureatûs gradu consequendo.

Chronicis quidem morbis sui sunt quandoque paroxismi acutorum æmuli præcipue ubi jam fatum misero ægro imminet, & acutorum aliquando multi in chronicos desinunt.
Cheyne de instr. sanit. tuenda cap. 7.



MONSPELII,

Apud Augustinum-Franciscum Rochard, Regis & Universitatis Medicinæ Typographum unicum.

M. DCC. LXXIV.



DISSERTATIO MEDICA
DE
AFFECTIBUS SOPOROSIS.

SOMNUS morbosus extra naturæ fines protractus, solitoque profundior, plerumque febre, sensûs motûsque voluntarii abolitione aut saltem imminutione stipatus, soporosorum affectuum varios constituit gradus ex intensitate symptomatum à se invicem discrepantes. Horumce affectuum quatuor numerantur species, coma scilicet somnolentum & vigil, lethargus, carus & apoplexia. Facile Dignoscitur *coma somnolentum*, cum in eo ægri minimo stimulo excitati sentiant, imo etiam respondeant si alta voce compellentur, inviti tamen, quando non excitantur ad somnum obtemperent. Ab hoc non multum differt *coma vigil*, sub quo inexpugnabili dormiendi desiderio, frustraneo tamen, molestissimaque totius corporis inquiete torquentur, dum sensum motumque vigiles ægri servant. Febris, delirii, oblivionis, soporisque profundi concursus, ab aliis *veterni* speciebus *lethargi* ponit differentiam. *Carus* autem est affectio soporosa, *lethargo* & *comate* major, apoplexiæ tam finitima ut non raro in eam transeat, similia sed mitiora symptomata offerens. De singulis hisce morbis disserere non sinunt huic opusculo præfixi limites, quapropter cum apoplexia sit inter eos ægritudo longe princeps & considerari possit tanquam ultima horumce affectuum linea, de hac præsertim agendum nobis incumbit.

II.

Tria sunt in insultu apoplectico potissimum spectanda quibus veluti charactere proprio morbus hicce signatur, cœteris exinde quibuscumque morbis facile dignoscendus. Talia sunt 1°. Affectûs vel potius insultûs repentina invasio, adeo ut tanquam numine invisibili perculsi protinus veluti bos mactatus humi procumbant, juxta vim vocis, apoplectici qui paulo ante vegeti, quantum vis sani videbantur 2°. Sensûs & motûs voluntarii abolitio cum omnium artuum resolutione, pulsu sat integro & febris plerumque absentiâ. 3°. Respiratio plus minusve difficilis, licet interim magna, stertens, ita ut imaginem profundi per-

petuique somni referat hic morbus, unde *Archigenes* (1) ad narcosim illam intensissimam respiciens dixerit quod *mortui vivant* id est *cum tota sensûs privatione* qui in hanc incidunt ægritudinem. Hæc omnia plus minusve intensa omnes in genere apoplexiæ gradus, verasque ac sufficientes hujusce definitiones absolvere videntur.

Porro nullus sane morbus tam dirus, nullus humano generi infensior apoplexiâ. Hæc nec sexui, nec ætati quidem parcit, vix unquam salutis spem relinquens, aut diuturnum nefandumque morbum afferens si non mortem. Hæc nonnullas regiones endemice infestans, aliquando visa est grassari epidemice (2). Passionum & curarum omni genarum quas capit humana mens constans pedissequa, regales aulas urbesque amplissimas obsidet; homines æmulationibus, cupiditatibus, aliisque vitæ civilis flagitiis accensos peculiariter incessura, exinde raro juniores, ætate vero provectiores, aut seniores ut plurimum adoriens, vix fortunatis agricolis nota.

III.

Sepositâ vulgari divisione apoplexiæ in sanguineam & serosam ut pote quæ minus accurata sit, medicumque in praxi frequentissime abludat, hic attendimus tantum ad causas hujusce morbi ex quarum sedula distinctione multo melior exurgit in idiopathicam & sympathicam divisio.

Veteres cadaverum sectionibus parum exercitati, aut hujus modi disquisitionibus, saltem quoad therapeyam apoplexiæ ad maximam partem passivis, immorari renuentes, in tanta morbi attoniti causarum segete vix quasdam adumbravere aliquid in eo divinum fingentes. Verum sub ingentibus curis & luxuriis crescente in dies apoplecticorum familia, crescentibus itidem tum physicis tum anatomicis inventis, latior, (imo utinam utilior) de hocce morbo ætiologia apud neotericos emersit quam attamen reducere juvat. 1°. Ad causas nativas, continentes, inhærescentes, proximas, internas, in ipsammet originem repetendas. 2°. Ad causas accedentes, procatharticas, remotas, externas, quarum aliæ cerebrum immediate vel directe, aliæ vero, varie torquendo viscera, eorum cruciamenta veluti quadam irradiatione juxta leges sympathiæ in œconomia animali præstabilitas ad usque encephalon demandant, aut illud alio quocumque modo afficere valent.

Rursus igitur ex causis nativis, inhærescentibus, &c. ab origine repetendis, aliæ sunt in tono, sensibilitate, vita (3), ut ita dicam ce-

(1) Aetius lib. 6 cap. 27 pag, 253, 254.

(2) Huxam de aëre & morbis epid. pag. 169. Morgagni epist. anat. pag. 18, 20. Lancisi de morbis subit. pag. 156.

(1) Talis erat intemperies cerebri apud veteres prædicata, quâ nascebantur poëtæ, melancholici &c.

rebri vel oblongatæ ſpinaliſque medullæ, altis radicibus defixæ, ibique veluti ſeminia morboſa ad apoplexias diſpoſitionem quandam præſtabilitam ac pene indelebilem efformant; quæ diſpoſitio plerumque ſerpit clanculum, exin citius ocyusve causâ datâ licet minimâ inſultum apoplecticum accerſens. Aliæ quas materiales vel mechanicas haud perperam appellares, in cerebri receſſibus degunt impactæ, vel in theca ipſamet cranii aut in viciniis, illinc cerebrum proxime lædentes; quas inter annumerandæ veniunt concretiones, oſſificationes in variis encephali latebris, calvariæ totius vitioſitas, præſertim depreſſio in nonnullis calvariæ locis ab imprudentia obſtetricis, foraminum aut rimarum baſis cranii anguſtia apud ſenes præcipue obſervata, collum breve, ſex tantum vertebris conſtans &c. quæ poſtremæ vix ad medicum pertinent.

Quoad vero cauſas remotas, externas &c. pene innumeras variis corporis partibus pertinentes, hæ pro maxima parte regioni epigaſtricæ veluti cuidam affectuum promptuario videntur aſſignari, unde ratio ſubjicitur cur ex abuſu in pleriſque rebus non naturalibus tot tantæque dentur apoplexiæ, vel ſaltem ad hoſce affectus diſpoſitiones. Id rite quidem conceperis ſi partium omnium in corpore viventi facultatem, ſenſibilitatem & ut ita dicam, *animalitatem* attenta mente perpenderis; ex phiſiologicis enim notum eſt 1°. Vitam in genere id eſt confluxum motuum, & ſenſuum omnium aut virium nervearum in animali, capitis, præcordiorum & epigaſtrii conatibus mutuis dirigi, his tanquam tripode inniti &c. 2° In epigaſtrium velut communem in officinam confluere è cunctis corporis partibus maximam virium copiam, quod ſedulo annotare expedit & exinde ad encephalon medullamque ſpinalem quatenus fontem nativum omniumque partium radices plerumque reduci. 3°. Summum eſſe præ cæteris epigaſtrii in quodcumque vitæ phænomenon influxum, ut nullus motus, nullus ſenſus dari queat in corpore, imo nec valeat caput ullam operationem moliri ut puta combinationem arduam, quin epigaſtrium vehementer commotum in actum coincidat.

Jam vero impromptu eſt varios ſtomachi affectus apud Helluones potatores, libidinoſos, aulicos, litteratos &c. non poſſe quin ad encephalon, conſenſu exquiſito caput inter & ventriculum ſtabilito, ſint repercuſſi, commoveant illud, vaſa exagitent, imo in certis cerebri punctis affectuum frequentiâ ſint veluti exculpti, unde vel diſpoſitio præſtabilita in cerebro declarabitur, augebitur, mox commoto capite, datiſque forſan obſtructionibus, varicibus, ædemate, aliiſque affectibus cerebralibus in apoplexiam evanitura, vel in encephalo aliunde è nativis ſano efformabitur diſpoſitio quædam morboſa quam *accidentalem* recte vocares, quæque ſub cauſis repetitis in dies aucta, tandem apoplexiam accerſet.

IV.

Aſt rurſus attendamus ad illam peculiarem regionis epigaſtricæ, ventriculi præſertim, ſenſibilitatem, quatenus ſub minimis circumſtiis minimo ſtimulo convelluntur hæc viſcera, eriguntur, quandoque in diaphragma & pectus irruentia, hinc vaſis epigaſtricis ſpaſmo tentatis (1), ſanguis cæterique humores raptu quodam ad caput deferuntur, eorum per truncos venoſos pectoris ad ſuperiora refluxus adaugetur adjuvantibus diaphragmatis commotione, nec-non pulmonibus & corde in anguſtiis; ſic ex riſu, tuſſi, gaudio, pavore &c. immodicis quæ totidem convulſiones epigaſtrii vel præcordiorum haberi queunt, nonnullæ ſoboleſcunt apoplexiæ quandoque ſubito lethales.

Haud abſimili ratione febres quædam *epigaſtricæ* viſcera illius regionis certis temporibus commovere valent, ita ut fiat motûs febrilis & humorum converſio ad caput, unde apoplexia febrilis, periodica intermittens; quid plura? focus febrilis vel irritatio quædam longe in alias partes diffuſa prædictâ motuum converſione ad encephalon deportatur quò vel apoplexias pariat, vel earum cauſas excitet. Dantur ideo apoplexiæ à ſuppreſſione hemorroidum, catameniorum, lochiorum & lactis in puerperiis &c. à graviditate, hiſteria &c., à materia variolarum, arthritidis, retro pulſa, aut ſpaſmo puſtularum ſuppurationem molienti, artrhitidem fovente, ad cerebrum retroceſſo &c. Sic etiam dolores ob calculos in ciſtide fellea, ſpaſmi dolorifici retroceſſu apoplexias non ſemel ciere viſi ſunt.

Verum quandoque pulmones ſibi focum febrilem ſeu irritationis ſedem arrogare, data certa quadam conſtitutione aëris, aut aliunde inquinato aëre, omnibus inconfeſſo eſt; unde ſanguinis congeſtiones, pulmonum infarctus, ſtaſes in capite, motuum nerveorum à cerebro ad pectus reciprocatio difficilis, abolita aut ſicut ayebant *veteres ſpirituum interceptio*; unde apoplexia à ſincope *Hippocratis*. Idem præſtare valent polypi in vaſis cordis, compreſſio vaſorum colli à paradigmatibus, glandulis maxillaribus tumefactis, ab anevriſmate (2) malus decubitus, & quæcumque ſanguinem in cerebro ſiſtere, illabentem ex eo retropellere, aut pulmonis ac cordis actionem verbò omnium motuum & humorum è pectore ad caput fluxus reciprocos pervertere valent (3).

---

(1) Ob eandem epigaſtrii conſtrictionem pharinx & fauces, qui textu cellulari debili involvuntur, maxime ſunt infarctibus obnoxii in melancholicis unde illi multam expuunt ſalivam.

(2) Voyez les Mém. de l'Acad. des Scienc. 1765. Mém. de M. Petit.

(3) Sic etiam ex obſervatione *Cothunii* in tabe aut Senectute dum marceſcit cerebrum, ſic que ſpatium cranium inter & duram matrem exin amplius a latice aqueo morboſo occupatum encephalon comprimit, poſſunt dari apoplexiæ. De iſchiad. nervea.

V.

Regiones etiam & cœlum ut in plantas, ſic in animalia maximum habere influxum nullus Medicorum ibit inſicias, ita ut individua licet in eſſentiâ eadem, quibuſdam tamen ad tales aut tales morbos diſpoſitionibus, uti & moribus, tanquam ſigillo peculiari notentur, plagæ aut ſoli naturæ analogis. Pro exemplo ſint quæ leguntur apud *Car. Piſonem* (1) ſolum lotharingicum eſſe feraciſſimum apoplexiarum fontem. Huc pertinent cauſæ quælibet ex aëris aut tempeſtatis intemperie deducendæ quæ textum mucoſum habitus corporis relaxant, vel conſtringunt, tonum quorumdam viſcerum labefactant, unde tonus cerebri adaugetur, ſic vel humorum ſtaſes cient, vel motus varios evertunt in corpore. Talia ſunt auſtralis (2) frigida calidaque tempeſtas quæ non ſecus ac liquor adipoſus in textu cellulari cutis luxurians apud polyſarcos, hunc textum relaxant, vel rarefiunt cellulas, conſtrictiones exinde varios que tumultus pariunt in epigaſtrio, rupto organum externum inter & epigaſtrium antagoniſmo.

Accedunt tandem cauſæ aliæ morbi attoniti quas mechanicas externas recte nominares, quales ſunt v. g. caſus ab alto, ictus à ſcipione, compreſſio colli à focalibus, acria, calida, capiti applicata, inſolatio &c. quibus vel adaugetur capitis actio, commovetur cerebrum, vel ejus organiſatio pervertitur.

VI.

His circa varias apoplexiæ cauſas diſquiſitis, facile eruitur 1°. Nullam dari apoplexiam, realem, i. e. ad Medicum pertinentem abſque prægreſsâ in cerebro vel in medullâ oblongatâ morboſâ diatheſi tum nativâ, tum accidentali. 2°. Quemcumque morbi attoniti inſultum reapſe pendere à capitis actione vividiſſima (3), vel cerebri commotione, præeunte quandoque affectu ſpaſmodico regionis epigaſtricæ. Hanc autem encephali intemperiem nec-non intenſam actionem in morbi attoniti apparatu penitus comprobatam habemus, ſcilicet in

---

(1) De morbis à ſeroſa colluvie pag. 100.

(2) Sic *Hollerius* permultos recenſuit apoplecticos in frigida & auſtrali aëris conſtitutione. Sic etiam *Foreſtus* ait, ſuis Batavis regionibus frigidis & humidis non raram eſſe apoplexiam, frequentem quoque in locis frigidis ob ſitum terræ ut Florentiæ, Bononiæ, Lucæ &c. vel ob regionis naturam ut Germanis & Britannis. obſerv. med. lib. 10 obſerv. 70. *Sic etiam Lanciſi*, *& Piquer* frequentiſſimas obſervaverunt apoplexias circâ ſolſticia, & æquinoxia; eandem obſervationem fecit meritiſſimus *Fouquet*, Recherches ſur les qualités de l'air de Montp.

(3) Ex hac cerebri vivida actione, juvenes in pubertatis tempore quandoque ſyderatione lethali percutiuntur ut pluries obſervavit illuſt. Fouquet. Traité de la petite vérole 1re. partie.

quibusdam morbi prodromis (1), quales sunt; aurium susurrus, vertigo, vultus rubicundus, vasorum colli inflatio, pupillæ in quibusdam arctatio ac pene totus oculus veluti spasmodico affectu tentatus, aut nitore quadam spectabili in cornea; facies etiam quasi fatua, ptialismus, balbuties, spasmus cynicus, partium extremarum refrigeratio, tremores, crampi, stupores, cephalalgia constans, memoria vacillans scintillæ litteratorum oculis fulgentes (2), quæ omnia sat luculenter hanc capitis actionem perhibent qua sanguis & humores una cum nerveis viribus rapiuntur ad encephalon, quæ omnia præconceptâ tamen opinione à posteriori ab humorum congestionibus, eorum copia, pravaque indole deducuntur.

Ast vero cum omnia hactenus prolata ad actionem intensam cerebri vel ad ejus commotionem reducantur in vera apoplexia, cum itidem hujusce insultus prægressa diathesi declaretur, nec-non phænomenis quibusdam plus minusve remittentibus, imo quandoque periodice recrudescentibus præludat, qui ad usque insultus invasionem fiunt vel intensiores, vel frequentiores, inferri hoc posse videtur, morbum attonitum, nerveum, chronicum esse ut contendit celeb. *De Bordeu* insultumque apoplecticum naturæ conatum criticum mentiri vel nihil aliud esse quam crisis speciem. Ita profecto se res habet, illudque mehercule evincitur natura vel genio morbi, hujus exitu ordinario, id est paralysi (3) in nervos incurrente, quandoque juxta latus cerebri affectum, plerumque etiam in sensu contratio ut observavit *Hippocrates*, quod phænomenon primus explanavit egregius *Poupartius in Act. Acad. Reg. sci. Par.* habita fibrarum nervearum decussatione ab *Aræteo* jam prætervisa, quæ generalis tamen non demonstratur. Hoc autem magis

---

(1) Mirum sanè, inquit *Aræteus* quæ urgente apoplexiâ quandoque meditentur ægri, quæ videant, quæ proferant; sensus omnis purus, & integer subtile ingenium, mens vaticinando idonea; primum quidem ægri de vita seipsos migraturos præsentiunt, deinde futura præsentibus denunciant, dictorum que eventus, homines in eorum admirationem concitat, exutoque sordibus animo, veracissimi vates efficiuntur. De caus. & sig. acut. morb. lib. II capit 4.

(2) Hoc simptoma apoplexiam quandoque antecedens observatum ab Illust. D. Tissot *de litteratorum morbis* videtur cieri non ab irritatione externa oculorum sed ab irritatione interna cerebri aut nervi optici, ut patet in usu plantarum venenatarum hioscyamæ, cicutæ, quarum effectus irradiatur à stomacho ad usque encephalon.

(3) Sic hemiplegia, paraplegia &c., quæ vitia ut externa, sic interna adoriuntur organa, estimabat *Aræteus imperfectas ac dimidiatas membrorum functiones in resolutione nervorum, stomachumque & intestina, vesicam &c. Idem vitium pati.* De nerv. resol. cap. 8. Idem pati æsophagum, imo omnino etiam resolvi quis unquam dubitavit?

comprobabitur si attendamus ad vim aut facultatem propriam cerebri, agit ut & alia viscera agunt, & in certis temporibus agit, & forsan non unica est crisis affectûs cerebralis; respice ad quasdam cæcitates (1) surdities, num originem ducunt ab affectu cerebri nimiis studiis accito? apud *Miltonum* sub alio æquinoctio vigebat ingenium, silebat, ut ita dicam, in alio, tandem cœcus factus est *Miltonus*; nonne evidenter patet hanc cœcitatem fuisse crisim affectus cerebralis? Observavit etiam Clariss. D. *Fouquet* juvenem abstrusis meditationibus addictum qui diu cephalalgia laboraverat, & tandem critice gibbosus evasit (2).

sed jam satis superque in apoplexiæ causis & naturâ extricandis stetimus, ut nonnulla nunc statuamus de universali hujusce morbi prognosi.

VII.

Omnem apoplexiæ speciem esse valde periculosam, nos docet illud pervulgatissimum *Hipocratis* effatum, *apoplexiam fortem solvere impossibile, debilem autem non facile*; major tamen vel minor sanationis spes deducitur ex ætate, temperie ægri, vehementia symptomatum, causis prægressis; si juvenes forti constitutione præditos aggrediatur morbus attonitus, si sensibus, motibusque abolitis remaneat tamen pulsus in statu fere naturali & respiratio sit satis libera, minus infausta erit prognosis; res autem periculosæ est aleæ si ætate provectiores, aut senes debili temperamento donati apoplecticum patiantur insultum, cum pulsu duro, spuma circa os fluente, sudore tenui, frigida, guttatim hærente, si etiam vehementibus stimulis excitati difficile expergiscantur. Lotii, stercorumque spontanea dejectio, impedita deglutitio, ingruens febris lentæ indolis in fine insultûs, respiratio stertorosa, pulsus ex lento celerior factus, mortem imminentem indicant.

Spontaneo naturæ motu quandoque apoplexiam solvi, superveniente alvi fluxu copioso, urina crassa, sudore multo, æquabili, calido, cum symptomatum levamine, hemorragiâ magnâ, diu fluente,

(1) In miscellaneis curios. natur. permulta leguntur exempla epilepsiarum cæcitate solutarum: vide tom. VI.

(2) Quantum in his præstare valeat oblongata spinalis que medulla sat evidens est, nulli quidem non notum est ingenii aciem vigere, id est, encephalon exquisita vi pollere; apud rachiticos, rachialgicos &c. Caudâ resectâ in fellibus colores oculi variegantur, hebescit vel deperditur omnino visus. Catulos fellum epilepticos vel stupore sub hac sectione perculsos corruisse quandoque observavit. Celeb. de *Bordeu*. Ita ut veluti prolongatio cerebri haberi queat medulla spinalis.

præcipue hemorroidibus (1) & fluxu menstruo, si ab eorum suppressione oriatur, quotidiana nos docet experientia. Solvitur etiam quando febris (2) valida, acuta in principio insultûs exurgit, quia tunc naturæ vires non sunt adhuc resolutæ, ut notavit *Hipocrates* dicens *si quis ex temulentia voce deficiat, siquidem jam confestim eum febris corripiat, convalescit, nisi vero corripuerit, intra triduum moritur*; & alio loco subjungit, *rursus autem in his ipsis si febris accedat, solutio fit.*

Naturæ vel artis viribus superatâ *apoplexiâ*, raro ab ea emergunt ægri, quin paralysis (3) alterutrum latus aut quoddam membrum resolvat, quæ plerumque idoneis remediis perfecte curatur; quandoque tamen judicii, memoriæ, motuum aut sensuum læsiones relinquit.

Hisce generalibus de morbi attoniti prognosi nonnulla specialia addere juvat. Quo enim magis materiales erunt causæ, eo periculosior censebitur. Si v. g. sero aut sanguini intra cranium effuso post vehementem capitis commotionem natales suas debeat, brevi ægrum in orci faucibus trahit, sanationis spes econtrà magis elucescit, si vel ab ingluvie, variisque stomachi affectibus, aut à quadam dispositione inhærescente &c. ortum ducat apoplexia.

VIII.

Exaratâ apoplexiæ historiâ ejusque causis sedulo perpensis, nunc superest ut ad curationem deveniamus quæ varia pro variis causis debet institui, & 1°. Ut ab idiopathicæ therapeya exordiamur, in ea quæ à nimio sanguinis cæterorumque humorum ad cerebrum raptu gignitur, cita celebretur venæ sectio in brachio & collo, si una tantum morbum solvere queat, in pedibus autem primum si vires, ætas, aut temperies ægri pluries sanguinem detrahere sinant. Haud etiam exiguam hujus generis opem afferret arteriotomia si adhiberetur à medicis longâ experientiâ edoctis, sed hodie jam eviluit, & mos invaluit ad alia confugere auxilia, ut venarum occipitalium aut jugularium sectionem à *Morgagnio* aliisque commendatam. Temporibus admotæ hirudines, nec-non cucurbitulæ scarificatæ occipiti applicatæ ad eundem scopum maxime conferunt, quatenus proxime ab interioribus encephali lateribus sanguinem ad exteriora revellunt, sine ullo virium detrimento.

---

(1) Hoc notavit *Hippocrates* dicens, *apoplexiæ si hemorrhoïdes superveniant, utile, frigiditates vero & torpores malum.* Coac. prænot. n°. 478. Charter tom. VIII. pag. 880.

(2) Sub alio respectu utilis est febris cum nempe spasmum solvat, in hoc affectu quandoque mere spasmodico.

(3) Adsunt tamen paralyses aliquando sine cerebri aut nervorum originis apparenti lesione, ut observavit Cl. *Fouquet*, in homine cujus brachius resolutus erat, qui tamen perfecte sui mentis erat compos, imo etiam majori imaginatione, memoriâ &c. quam antea pollebat.

Verum quibus limitibus cohiberi debeat, precise determinare nimis arduum foret, dum major aut minor esse debeat pro vario pulsus viriumque statu, varia aëris constitutione, vario morbi stadio &c.

Præmissa sanguinis evacuatione leniter sudducenda est alvus purgante antiphlogistico, aliquoties repetito, ut salutaris excitetur diarrhæa, cujus actio si nimium lenta sit, determinabitur clismatibus ex nitro sale gemmæ, oximelle &c. Potu utatur æger tenui, refrigerante, nitroso &c. Vitanda sunt ea omnia quæ humores versus caput impetuosius dirigunt, qualia sunt, calor externus, decubitus in lecto declivis & supinus, medicamenta acria capiti imposita ut aquæ spirituosæ, errhina &c. Vesicantia etiam cum humores ad cervicem potenter attrahant, cerebrumque virtute quadam peculiari lædant, ex *Baglivio* nullatenus in hac specie conducunt, quibus fausto cum exitu substituuntur balnea pedum, molles frictiones, cucurbitulæ &c. Fonticulum in hac specie ubi adest serosa colluvies, magnopere valet tanquam remedium prophilacticum.

An emetica in hac morbi attoniti specie conveniant multum controvertitur apud auctores, eorum exibitioni suffragantur *Sennert*, *Hofman* &c. dum incerta vocantur auxilia à DD. *Boerrhaave*, *De Haen* quorum in hisce opinio nobis videtur rationi & experientiæ consentanea.

Nunc de curatione apoplexiæ à vitio cerebri simpathico oriundæ cujus causæ frequentiores esse solent nimia ciborum aut potûs copia, sordes in primis viis nidulantes, venena &c. Lethiferam esse sanguinis missionem, si morbus attonitus ortum mutuetur ab ingluvie, neminem practicum fugit, ni adsit tamen plethora, aliæque morbi circumstantiæ hanc primum expostulantes. Multo efficacius ab emetico auspicatur medela, hoc enim auxilio evacuantur assumpta venena vel saburra ventriculum gravans; quin etiam singula corporis organa rudius concutiuntur, torpidaque excitatur sensibilitas. Emeticorum nil proficientium loco dantur purgantia drastica ex colocinthide, euphorbio &c. enemata acria ex vino emetico turbido, nicotianæ decocto &c. Nec etiam exiguam merentur laudem cephalica, cardiaca, diaphoretica, aliaque innumera in affectibus soporosis jactata. Merito etiam deprædicantur sternutatoria ut iris Florentina, semina sinapis staphisagriæ, helleborus albus &c. Proficue demum usurpari queunt stimulantia externa, salia volatilia naribus insuflata, frictus, sinapismi, cucurbitulæ, vesicantia, cauterium actuale, primam inter & secundam colli vertebram applicatum &c.

Apoplexiæ ab opio vel narcoticis ortæ (1) acida vegetalia, oleum, emeticum que multoties repetitum egregie medentur.

---


(1) Hujusce modi apoplecticum oleo & aceto sanavit Illust. Barthez. Ab insultu apoplectico ex fumo carbonum orto, hominem liberavit D. Petit aceto intus & extus adhibito.

Ea autem apoplexiæ species quam vocavimus cum D. de *Bordeu nervosam* (1), vividissimâ cerebri nervorum que actione, ob validam mentis contentionem, vehementia animi pathemata &c. originem repetens, aulicos, litteratos (2) que ut plurimum in vadere solita, aliis eget auxiliis, ut suis in causis debellari possit; quorum præstantissima depromuntur ex cephalicis, nervinis, ut radix valerianæ, castoreum ambra grisea, cætera que idgenus, ab auctoribus commendata. Valde etiam prosunt semi cupia, frictus in artubus inferioribus &c. hisce præsidiis vel naturæ viribus fugato paroxismo, nil non movendum ut avertatur recidiva quæ in hac specie frequentior esse solet; quapropter hæc ægris alta mente inculcanda sunt ut cautissime caveant ab omnibus quæ humores ad caput attrahunt, nervosque afficiunt, ut mentis contentio, vehementes curæ, irritantia, narcotica &c. utantur victu tenui, paulo roborante, potu temperato, somno breviori &c. His etiam commendantur exercitatio frequens, præsertim equitatio, frictus cum pannis fumo plantarum aromaticarum imbutis, balnea frigida, tonica, cum nervinis maritata &c. forsan etiam musices vim quandam in hisce affectibus haberet.

Quod tandem attinet apoplexiam à causis mechanicis tum externis, tum internis, ut concretiones, ossificationes &c. Hæc non ad Medicum pertinet; nullamque fere expostulat medelam, cum cityus ocyus ve homines hac correpti è vivorum numero deleantur.

(1) Huic apoplexiæ speciei sublatæ icteritiam succedere quandoque observavit celeb. hujus Ludovicæi Cancellarius, D. Barthez. De funct. nat. hum. pag. 12.

(2) Voyez Tissot maladies des Gens de Lettres pag. 38, 39, 40.



DISPUTATURI.

R. R. D. D. PROFESSORES REGII.

R. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*
R. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Cancellarius & Judex Adjunctus.*
R. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*
R. D. GABRIEL-FRANCISCUS VENEL.
R. D. CAROLUS LE ROY.
R. D. GASPAR-JOANNES RENÉ.
R. D. ANTONIUS GOUAN.
R. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

R. D. HENRICUS HAGUENOT, *Decanus, Professor Emeritus.*